

vero ad utrumque. Sic sentit Cajetanus ad finem libri Esther, secutus S. Hieronymum in prologo Proverbiorum, ubi id aperte dicit: et Augustinus u de doctrina christiana, capite viii, qui distinguit Scripturas canonicas, quod illæ, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis, proponantur eis, quæ a quibusdam non recipiuntur: in eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus præponantur illæ quas plures graviusque accipiunt, eis quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Ergo censet Augustinus, non omnes esse æqualis auctoritatis, si quidem aliquæ possunt præponi aliis.

XXV. Nihilominus huic controversiæ finem imponit determinatio Concilii Tridentini sessione iv, dum dicit omnes libros tam veteris, quam novi testamenti cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas tum ad finem, tum ad mores pertinentes, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipere, et venerari. Igitur si omnes Scripturæ pari reverentia, et affectu suscipiuntur, non debet admitti prædicta graduatio, ut quædam pro confirmatione dogmatum, quædam pro ædificatione fidelium tantum legantur in Ecclesia, et ut canonicæ admittantur. Et ratio est evidens, quia si aliqua Scriptura recipitur ab Ecclesia tamquam a Deo dictata, hoc ipso admittitur ut habens infallibilem, veritatem, et doctrinam, et consequenter ex illa poterunt confirmari dogmata fidei. Si vero non admittitur ut dictata a Deo, neque ut habens infallibilem veritatem simpliciter non est canonica Scriptura, neque ad morum ædificationem valebit; nec enim in tradendis regulis morum habet infallibilem doctrinam, cum non sit dictata a Deo, et sic non erit canon, seu regula ad ædificationem morum, nisi sit etiam ad confirmationem

dogmatum quantum ad veritatem.

XXVI. Ad rationem dubitandi respondetur, Ecclesiam dupliciter potuisse dubitare de auctoritate alicujus libri. Uno modo permissive, seu negative, id est, quia videt aliquos dubitare, et tamen neque prohibet, neque definit, habet tamen principia unde possit definire, et determinare quod canonicus sit, licet ad tempus id omittat donec difficultates vincantur; alio modo Ecclesia dubitat positive, quia in rei veritate non habet sufficientia principia, unde possit judicari quod sit canonicus, sed potius de ejus auctoritate dubitari. Primo modo, Ecclesia aliquando dubitavit de aliquibus libris non quia tota Ecclesia dubitavit, sed quia aliquos dubitare permisit, et non voluit statim oppositum definire; alii vero qui censebant esse librum canonicum, quamvis id non esset omnino declaratum propter aliquas difficultates, ex traditione apostolica id censebant, et quod ab Apostolis essent traditi de facto, quod tandem ab Ecclesia cognito declaravit illos libros pro canonicis. Unde nullus liber canonicus modo est, de quo etsi ab aliquibus dubitatum aliquando fuit, ab aliis tamen antiquis patribus tamquam Scriptura canonica non sit habitus. Et ita fatetur Hieronymus præfatione in Judith librum hunc a Nicæna Synodo receptum inter sacras Scripturas, qui tamen apud Hebræos non habebatur in canone, et ab aliquibus de eo dubitatum fuit. Secundo autem modo non dubitavit Ecclesia de aliquo libro per positivum judicium rejiciendo illum, et judicando dubitationem ipsam, quem postea in canonem reciperet, sicut liber Henoch qui ut dicit Augustinus xviii de civitate, capite xxxviii, propter nimiam antiquitatem suspectus visus est Ecclesiæ, et sic nunquam fuit admissus, et similiter liber tertius, et

quartus Esdræ, et liber Pastoris, multaque alia, quæ judicata sunt non esse canonica a Gelasio papa in capite Sancta Romana, itaque quod semel judicavit Ecclesia ut dubium per positivum judicium, non judicat postea pro canonico.

XXVII. Quod attinet ad Cajetanum ipse non aliter se salvat, quam dicendo se sequi S. Hieronymum, ut patet in tomo tertio opusculorum ejus, tractatu ultimo, ubi inquit, quod non negat ipse Scripturas illas in quibus dubium ponitur a Hieronymo esse quidem secundum se canonicas, in ordine tamen ad nostram notitiam habere minus auctoritatis stante illo dubio quod tamen ipse non proponit, sed Hieronymus, quem secutus fuit. Nos ergo Cajetanum non accusamus in eo quod cum Hieronymo dubitaverit, sicut ipse Hieronymus, sed quod dubitationi non cesserit post Concilia, et Ecclesiæ usum, sed potius voluerit Conciliorum verba aliorumque doctorum ad Hieronymi regulam deducere, non enim Hieronymus regula esse potest canonicorum librorum, sed Ecclesia, et summus pontifex est regula, unde bene potuit illos quos tunc Hieronymus extra canonicos computabat, postea recipere, sicut de facto recepit. Et ita saltem post Concilium Tridentinum nullo modo Cajetani sententia admittenda est. Imo et ejusdem Cajetani tempore in Concilio Senonensi decreto quarto, determinatum est, ut qui in annumerandis libris canonicis præscriptum Ecclesiæ usum, et auctoritatem non sequitur, sacrum Concilium Carthaginiense III, Innocentii et Gelasii decreta, et definitum a sanctis patribus librorum catalogum velut schismaticus reprimatur. Constat autem in illis decretis contineri inter libros canonicos omnes, qui modo continentur, et ideo non possumus in hac parte

sequi pro regula dubitationem Hieronymum, sed Ecclesiæ usum.

XXVIII. Quod vero attinet ad Augustinum, respondetur sensum esse facilem, quod illi libri sine dubio debent præferri, qui ab omnibus Ecclesiis recipiuntur: qui autem non ab omnibus recipiebantur, certum est non æqualiter debere recipi quamdiu scilicet permittitur ab Ecclesia universali, quod illi non ab omnibus recipiantur, neque ea res definitur. Si autem ab universali Ecclesia id definiatur, et consequenter ab omnibus approbetur, non negat Augustinus eis esse æqualem auctoritatem tribuendam. Ita fit cum illos libros quos nunc habemus universalis Ecclesia per suam definitionem in Tridentina Synodo approbavit.

DE POTESTATE QUAM HABET PONTIFEX
CIRCA EDITIONEM, TRANSLATIONEM,
ET CORRECTIONEM SCRIPTURÆ.

XXIX. Hoc pertinet ad secundum punctum in initio articuli propositum, scilicet de potestate pontificis circa editionem, seu translationem Scripturæ, ejusque correctionem: et quænam habeat modo authenticam, et canonicam auctoritatem. In quo quidem ut brevius exhibeatur resolutio, per modum quæstionum eas proponemus, et decidemus. In primis ergo inquire, quomodo Ecclesia certificari possit de versione aliqua Scripturæ, cum Scriptura ipsa a Deo dictata sit in alia lingua quæ nunc utimur, Apostoli quoque Ecclesiæ tradiderunt Scripturam in ea lingua, et editione, qua ipsi tunc utebantur, et constat tunc non fuisse adhuc plures versiones, aut editiones, quæ postea factæ sunt. Interpres quoque ecclesiasticus non habuit infallibilem assistentiam Spi-

ritus sancti ne erraret in traductione facienda, et ne illam Ecclesiæ proponeret aliter quam in se est: nec speranda est circa hoc specialis revelatio, cum nec illa fiat nunc Ecclesiæ, neque ex hoc modo ordinatio gubernandi Ecclesiam expectari potest. Quod confirmatur, quia etsi sensum possit Ecclesia approbare, tamen verba et clausulas non potest facere quod sint infallibilis auctoritatis, cum necessario debeant esse alia verba ab illis in quibus tradita est et scripta.

XXX. Respondetur Ecclesiam ex auctoritate quam habet circa determinandas res fidei, et proponendas eas fidelibus, habere quoque auctoritatem determinandi in quo libro, et qua editione et tractatu invenitur veritas fidei, et revelatio divina, et ita ex auctoritate illa deficiente certificatur Ecclesia sicut alias res fidei controversas certificatur per auctoritatem suæ definitionis. Quia tamen hæretici negant Ecclesiæ auctoritatem, et solum volunt, ut secum agatur ex verbo Dei, ideo oportet videre motiva, quibus Ecclesia utitur ad certificandum de vera editione Scripturæ, quod similiter catholicis necessarium est, quia quamvis Ecclesia et pontifex aliquam propositionem definiat, indiget tamen prius inquirere diligenter circa illam, et videre, ac iudicare motiva, quibus talis propositio definienda est.

XXXI. Addo ad ista Ecclesiam semper habuisse sufficientia motiva apud se unde discernere possit legitimam editionem, et translationem, et quoad hoc invenio duas regulas, quibus certissime Ecclesia in hac parte procedit; altera apud D. Augustinum, altera apud Concilium Tridentinum. Augustinus enim II contra Faustum, capite secundo jam citato, agens de hac ipsa difficultate, quando est quæstio de ipsa

translatione, et fide adhibenda exemplaribus libris, sic inquit: « Si de fide exemplarium quæstio vertetur sicut in nonnullis, quæ et pauca sunt, et sacrarum litterarum studiosis notissimæ sententiarum varietates, vel ex aliarum regionum codicibus, unde ipsa doctrina comæavit nostra dubitatio dijudicaretur, vel si ibi quoque codices varientur plures paucioribus, aut vetustiores recentioribus præferrentur, etsi adhuc esset incerta varietas præcedens lingua, unde illud interpretatum est, consuleretur. » Constat ergo juxta Augustinum habere Ecclesiam sufficientia principia unde iudicare possit inter varietatem editionum, scilicet per collationem cum pluribus exemplaribus, præsertim vestutioribus, vel cum ipso Hæbræo textu, vel cum codicibus illius regionis, unde doctrina dimanavit. Nec est putandum unquam in Ecclesia defutura exemplaria etiam antiqua, cum quibus conferantur editiones Scripturæ, id enim pertinet ad providentiam Dei, ut semper conserventur, sicut per tot annorum spatia a tempore Moysis conservata sunt, non quasi ipsa prima originalia, et exemplaria quibus primo a Deo dictata est Scriptura, conserventur: hæc enim nullo modo extant, sed quia per trassumpta, quæ ab illis primis originibus primo dimanarunt per successiones conservabantur, sicut modo etiam alii antiqui libri conservantur.

XXXII. Alio principio ducitur etiam Concilium Tridentinum, sessione quarta, scilicet traditione, seu ex ipso usu antiquo Ecclesiæ, ut patet in illis verbis: « Statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus, et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, et pro authentica habeatur, etc. » Itaque Ecclesia nunc ad ac-

ceptandam aliquam determinatam editionem pro authentica pro principio habet ipsum Ecclesiæ usum, et quasi traditionem approbatam per tot annos, quando vero ista editio vulgata adhuc tot annorum usu approbata non erat, utebatur Ecclesia regula Augustini ex variis translationibus, quæ fiebant illa, quæ per collationem cum antiquioribus exemplaribus concordabat, et cæteras condiciones habebat pro authentica communiter reputabatur. Nec Ecclesia indiget majori inquisitione, ut determinet per suam auctoritatem quod aliqua translatio sit authentica, sicut ad canonizandos sanctos sufficit habere testes examinatos modo humano circa miracula, et sanctitatem aliqujus. Itaque hoc ipso quod Deus volebat hominibus tradere Scripturas revelatas, oportuit etiam providere de mediis, quibus illæ conservarentur. Et cum ipsa prima originalia non possent semper conservari, id enim esset magnum miraculum, debuit conservari per trassumpta, atque adeo requirebatur auctoritas quæ determinaret illorum trassumptorum fidelitatem, et veritatem, et convenientiam ipsorum cum exemplaribus: hoc enim modo etiam alii libri antiquissimi usque ad nos pervenerunt quasi per manus, et cum fama constanti quod sint illorum auctorum, etsi in alias linguas translati sint, ut libri Platonis, Aristotelis, etc. Quo etiam argumento utitur Augustinus ut supra diximus XXXIII contra Faustum, capite VI, et videndus est idem Augustinus II de doctrina christiana, capite XIV et XV, ubi ponit modum, quod conferenda sunt exemplaria, ut vera et emendata habeantur.

XXXIII. Ad rationem dubitandi in oppositum respondetur, verum esse quod interpretes qui Scripturam transferunt non habent semper

assistentiam Spiritus sancti, ut testatur Hieronymus præfatione in pentateuchum: « Aliud est, inquit, esse vatem, aliud interpretem; ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditio verborum copia qua intelligat, confertur. » Ecclesia tamen habet plures doctores qui possint editionem aliquam de qua est quæstio conferre cum exemplaribus antiquioribus, et ejus translationis modum investigare, et approbationem quam habet in Ecclesia per multos annos etiam apud sanctos patres considerare; et facta ista collatione, et inquisitione potest optime determinare quænam sit legitima editio cum procedat cum omnibus requisitis ad id determinandum; tum præcedente sufficiente disputatione; tum etiam habendo auctoritatem ad id determinandum, sicut et alia, quæ ad Scripturarum veritatem pertinent. Atque ita non est admitendum quod possit Ecclesia falli ab interprete si ipsa id determinat post sufficiens examen, quale etiam solet fieri ad alias definitiones faciendas.

XXXIV. Ad confirmationem respondetur, quod licet verum sit quod quando primo Scripturæ a Deo dictantur, etiam ipsa verba a Deo determinate dictantur, et ad illa specialem assistentiam habet scriptor canonicus. Unde D. Thomas I part. quæst. I, art. X dicit, quod quia in Dei potestate est non solum voces, sed etiam res ad significandum accommodare, significatio vocum pertinet ad sensum litteralem, tamen quia verba non sunt propter se, sed propter sensum, et res significatas, non est intelligendum quod verba Scripturæ, et ipsæ voces sint infallibilis auctoritatis solum propter se materialiter consideratas, sed propter sensum quem exprimunt. Unde si idem redditur sensus, licet verba varientur intelligendum est esse

solam materialem varietatem, non formalem, sola quippe formalis significatio verborum facit illa infallibilis auctoritatis. Unde etiam in formis sacramentorum videmus, quod etiam si verba materialiter varientur, dummodo idem sensus reddatur, idem operantur, ut ostendit S. Thomas III p. quæst. LX, art. VIII, et constat in illis verbis: *Hic est sanguis meus: Hic est calix sanguinis mei*, idem enim operantur. Et in Scripturis hanc varietatem fatetur, et late probat Hieronymus in epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi: « Discrepant inquit, evangelistæ LXX interpretum nostraque translatio, et tamen sermonum varietas Spiritus unitate concordat. » Et latissime ibi ostendit quomodo in translationibus non debeat reddi verbum de verbo, sed sensus de sensu. Itaque non ipsa verba quasi materialiter sunt auctoritatis infallibilis, ita ut mutari, ac transferri non possint quando fit translatio, sed verba quasi formaliter, et ut sensui deserviunt sic habent pondus suum et immutabilem infallibilitatem. Videantur ibi plura exempla, apud Hieronymum, et S. Augustinum II de doctrina christiana, capite XIV, qui inquit: « Quod nihil impedit in Scriptura correctionem, nisi consuetudo cantantium. Ista tamen, inquit, facile contemni possunt si quis ea cavere voluerit quæ sano intellectui nihil detrahunt. »

DE EDITIONE, QUA NUNC UTITUR
ECCLESIA.

XXXV. Quæri secundo potest, qualis sit editio, qua nunc Ecclesia utitur et qualis fuerit illa in qua primum Ecclesia ab Apostolis fundata est. Respondetur varios fuisse

status Scripturæ sacræ et in illis semper fuisse sic gubernatam, ut haberet Ecclesia in se sufficientia principia, unde posset veram et legitimam editionem declarare; licet non omnes in particulari essent legitimæ. Primus ergo status Scripturæ fuit a tempore Moysis usque ad captivitatem Babylonicam, in qua vel omnes libri sacri incensi fuerunt et postmodum Scriptura divinitus ab Esdra restituta est, ut plerique auctores volunt, quos supra citavimus; vel saltem magnam jacturam Scriptura passa est, et postmodum ab Esdra, licet non de novo restituta, tamen ex variis fragmentis, aut reliquiis collecta de novo est, ut Chrysostomus censet homilia VIII, super epistolam ad Hebræos, et indicat Hilarius præfatione in Psalmos.

XXXVI. Secundus status fuit a tempore Esdræ usque ad tempora septuaginta interpretum qui 280 annis ante Christum Dominum transtulerunt Scripturam de Hebræo in Græcum, quorum translationem tamquam ex assistentia Spiritus sancti factam antiqui patres communiter fatentur, ut Augustinus II de doctrina christiana, capite XV, et ex antiquis Justinus, Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Chrysostomus, et communiter alii patres, et hac editione usos fuisse Apostolos dicit S. Hieronymus præfatione in libros Paralipomenon: « Editio, inquit, septuaginta interpretum nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem; et hac usa est Ecclesia quamdiu illa pura, et in sua integritate permansit. » Idem tenet Irenæus libro VII de fide, capite XXV, idemque late probat Leo Castro de editione septuaginta interpretum, cap. VI, qui videri potest in præfatione super Isaiam et S. Augustinus XVIII de civitate, cap. XLIV, et epistola X ad Hieronymum. Ita affirmat Apostolus usos esse editione

septuaginta, etiam quando illa ab Hebræo dissentiebat; in quo tamen Hieronymus ab ipso dissentit, et existimat Apostolos et evangelia aliquando citare testimonia veteris testamenti aliter quam in septuaginta continentur, id est, juxta Hebræum, in his in quibus a septuaginta dissidet, Ecclesia autem usa est editione septuaginta, simul tamen retinendo exemplaria Hebræa, unde possent vitia corrigi. Origenes etiam fere hoc ipsum testatur ad Africanum, videlicet Ecclesia communiter uti translatione septuaginta, et quod hæc olim in Ecclesia dicebatur vulgata. Quod testatur etiam S. Philastrius de hæresibus, cap. CXXXIV: « Sequitur, inquit, Ecclesia catholica septuaginta interpretationem, legit, colit, et prædicat, alia autem supervacua, et contraria tantæ editioni contemnit, et abjicit. »

XXXVII. Tertius status fuit a tempore, quo coepit septuaginta interpretum editio corrumpi, et vitari partim negligentia libroriorum, partim malitia hominum. Et quidem editiones Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis, licet alias homines hæretici essent, et Aquila contra ipsorum septuaginta editionem fecerit, ut testatur Epiphanius libro de mensuris et ponderibus, et in odium christiani nominis multa perpetam addiderunt, ut testatur Chrysostomus homilia V in Matthæum, et Hieronymus epistola LXXXIX ad Augustinum, nequaquam tamen ipsorum septuaginta editioni comparari debebant, ut ipse Epiphanius testatur, et tamen illorum editiones Græci legebant, tum propter studium doctrinæ suæ, tum ut septuaginta magis ex collatione eorum intelligerent, ut ait Hieronymus præfatione in translationem Isaiæ. Corruptam ergo editionem septuaginta emendavit primo Origenes collatione fac-

ta ad editiones Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis, fortassis etiam obtento exemplari Hebræo, quod apud Ægyptum ex bibliotheca Ptolomæi servabatur, nam adhuc suo tempore extare docuit Tertullianus in apologetico, capite XVIII, qui paulo ante Origenem floruit, præsertim cum ipse etiam Origenes Hebræum textum apposuerit in suis hexaplis. An vero Origenes ad puram septuaginta editionem vindicaverit, certum non est; nam Hieronymus in epistola ad Sunniam, et Fretellam dicit: « Translationem quæ habebatur in hexaplis, et quam ipse verterat, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta, et immaculata septuaginta interpretum translatio reservatur: » præfatione vero in libro Paralipomenon, et præfatione in Esdras, corruptam et violatam inquit esse. Post Origenem vero etiam emendavit editionem septuaginta Lucianus martyr, tertio Hesyehius presbyter, quarto Hieronymus.

XXXVIII. Quartus status fuit in translationibus vulgatis, quæ factæ sunt in Latina lingua. Facta est autem duplex vulgata una vetus, cuius auctor ignoratur, fuitque ante Hieronymum, et ipsam S. Augustinus Italiam vocat II de doctrina christiana, cap. XV. Alia nova ab ipso Hieronymo facta, qui vetus testamentum ex Hebræo in Latinum transtulit, coactus id facere eo quod septuaginta interpretum editio, licet ab Origene, et aliis emendata esset, tamen quia unaquæque correctio suos habebat sequaces, indeque non leves conflagantur seditiones, nec omnino liquido constaret quæ pura, et integra esset septuaginta editio, ideo Hieronymus editionem illam Latinam coactus est facere, sicut et novum testamentum Græcæ fidei reddidit, jubente Damaso papa. Hæc tamen duæ vulgatæ editiones Latine vetus, et nova, etiam tempore